

resurrectio, qui in Christo sperarunt, siue crediderunt in hac uita u. 19. Quorum ἀπαρχὴ f. primitiae, Christus in resurrectione sua factus u. 23. Qui sunt τῶ χειρὶς u. 23. Loquitur de eorum resurrectione, qui baptizabantur super mortuis u. 29. l. c. qui martyrum constantia moti, Christiani facti sunt. Qui propter Christum pericula subire quotidie non recusabant. u. 30. Qui ab Epicuraea securitate abhorrebant. u. 32. Loquitur de illa resurrectione, quam consequitur corporum glorificatio, u. 42. seq. Regni Dei possessio u. 50. beata ἀφθαρσία et incorruptio, u. 52. plena de morte uictoria et triumphatio, u. 55. atque haec non possunt ad impiorum resuscitationem applicari, ut constat. Necessario igitur uerba Apostoli intermedia de resurrectione piorum accipienda, ut sit sensus: Per hominem, uidelicet Adamum, mors; et per hominem, uidelicet per Christum, resurrectio mortuorum ad uitam beatam, illorum scilicet, qui in Christo obdormierunt, quorum ἀπαρχὴ est Christus, qui Christi sunt, etc. ut ex immediate praecedentibus et subsequentibus intelligitur. Si denique uel maxime concederetur, sic ibidem censet B. QVÆNSTEDIVS: Apostolum ex Christi resurrectione uniuersalem omnium hominum resurrectionem directe inferre; nondum tamen euitum foret, resurrectionem impiorum ex Christi resurrectione, tanquam ex causa meritoria, dependere, sed hoc tantum inferri posset, quod resurrectio uniuersalis sit necessarium consequens resurrectionis Christi, utpote qui per suam resurrectionem declaratus est Dominus uiuentium et mortuorum, Rom. XIV, 9. Et resuscitator omnium potentissimus, Ioh. V. uti et iudex omnium a Deo ordinatus est. Act. XVII.